

De Latinitatis Activae Nostris in Sessionibus Apud Collegia Utendae

Beneficiis et Periculis

Quis ex collegis nostris quosdam docere discipulos linguam Latinam modo activo (ut exprimi solet) saepius non audiverit? Imaginibus, cinematographia, aliisque instrumentis per quae res antiquae audiri ac velut videri possunt magistri magistraeque discipulis non modo maiorem amorem sermonis purioris sed etiam facultatem sententiarum ex tempore et obiter de rebus cotidianis exprimendarum dare conantur. Aliis quidem renovatio aetatis praeclarioris et bonum inmixtum esse videtur. Aliis tamen et plurimis forsitan si haec lingua potius ora et aures quam oculos discipulorum impleat occasio non dicam perpressionis sed sane aporiae est. Ne plura, hodie sunt sescenta fontium ex quibus rivuli Latinitatis ad populum scientiam linguae Latinae sitientem per Youtube, Twitter Papae vel Pontificis Romani, greges multos consodalium Facebook, Vicipaedia et nescioquae alia fluunt. Hacne re gaudeamus et nos ad sapientiae fastigia libros stilosque tenentes evecturos iam esse credamus? Anne capitibus demissis terram intueamur? Estne via media inter has duas rationes?

Acroasis mea quam vobis offerre hoc in concilio volo modum linguae vivae Latinae docendae suggeret. Nec facilem nec semper iucundum vos ipsi hunc esse modum putabitis. Sed in primis ea quasi tabula vera viaria qua monumenta observanda sint vobis ponetur. Haec tabula vel ut accuratius dicam ratio talia genera includit: disputationes, recitationes, et percontationes. Seriatim investigemur quaeque ut amplius cui auxilio sint cognoscamus.

Primum disputationes. Cum antiquitus pueros iuvenesque (mihi tamen non licet quamquam libeat scribere puellas) indutos principa orationis Orbilii reddere vellent pensa

discipulis varia de quibus in utramque partem (ut philosophi scripserunt) quorundam celebrium locorum et fabularum disputarent posuerunt. Exempli gratia: Alexandrone licet ex coniuge Helenam eripere? Cacumne horribilem sine misericordia Hercules occidere debebat? Hancne rationem docendi sessionibus in nostris imitari et volumus et possumus? Per acroasin meam responsio huic rogationi et exempla feliciora audientibus dabuntur.

Quid plura? De recitationibus deinde loquamur. Paene omne syntagma vel tractatus linguae Latinae lectoribus tubis clamoris annunciat “repetitio memoriae mater.” Haud dubium id est. Sed quem patrem nuncupamus? Exercitationes quas scientiam faciliorem acquisitu efficiant patrem appello. Manibus coniunctis et voce placida audita gradatim discipuli ex via aequali ducantur ad asperam. Primo progressu partes orationes octo Latinae in discipulorum memoriam dentur. Deinde de rebus cotidianis domesticisque solitis et aliis idoneis vitis suis parvae puerique cogitant. Nomina animalium, personas gentis suae, partes culinae, area domus, aedificii per laborem non limae sed mentis diligentissime ei qui Latinam discere volunt sequantur. Cur difficiliora id est res Verrei Vercingetorigis aut Plautinae anteponeunda quam manifesta sunt? Ecce manifesta: digiti, pollex, manus, bracchium, et aliae partes corporis. Memoria fieri capacior non poterit nisi se rebus notis per multos sensus assidue exercuerit. Aures exempli causa aptiores ad scientiam novam adhibendam oculis permultis esse sunt.

Demum quomodo percontationibus benevolis cum nostris discipulis uti possimus videamus. Ordo naturalis expositus est rogationum in sermonibus quibus dies nostros expendimus. Eodem modo quasi modo Scholastico in colloquiis affirmo uti nos debere. Rogationes hic indico tales: Quis es? Ubi habitas? Civitasne tibi placet annon? Quot

annos nata es? Quo pacto res se tibi habent? et cetera. Nos per rationem supra circumscriptam ipsi discipulis parum Latinae et sui quidem scientibus audaciam confidentiamque commodemus.

Generibus tribus Latinae activae docendae explicatis, disputatione, recitatione, et percontatione amica acroasis terminabitur.